



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Verùm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

reuocandi à domino facultatem acceperit, posteaquam substituit, officio suo functus censetur.

Quamobrem hoc c. locum non habet, si Procurator post litem contestationem alium iure suo substituat, iuxta c. 1. §. licet, hoc lib. & tit. Nam eodem iure reuocare eum, atque causam reassumere poterit, si res integra sit, seu iudicium necdum in eum transfatum: At verò post litem contestationem, aut aliter iudicio cepto per institutum, reuocare eum potest, causa reuocationis prius cognita, sicuti dictum est supra c. 2.

### s. Verum.

SI procurator ad causas plures vel omnes constitutus in vna earum alterum substituerit, in alijs causis procuratoris officium exercere non prohibetur. Ratio est manifesta; quia tametsi substituat sibi procuratorem in vna causa, retinet tamen potestatem, nec est functus officio suo in alijs causis.

## CAPITVLVM IV.

### Qui ad agendum.

PROcurator generalis, tametsi cum clausula constitutus sit, vt omnia expedire possit, etiamsi speciale mandatum exigant, ex vi huius generalitatis admitti non debet ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum requiritur.

Ratio reddi debet: Quia hoc ipso quòd iura ad quaedam præstanda speciale mandatum exigunt, non sufficit commissio generalis, & non specificata. in c. vlt. q. vlt. de offic. Vicarij in 6.

### s. Sed si aliquis.

SI in procuratorio mandato vnus vel plures articuli ex ijs, qui speciale mandatum requirunt, expressi sint, adiecta clausula generali, tunc etiam ad casus non expressos procurator admittendus est.

Exemplum est: Si constitui procuratorem ad iudicia, data ei plena potestate, ita

vt etiam transigere possit, & alia omnia præstare, quæ mandatum speciale exigunt, hoc casu admittendus etiam est, si iuramentum parti aduersariæ deferre velit. Sed declarandum, ac limitandum est primò, Quòd clausula illa, & alia, extenditur tantum ad similia & minora, non item ad maiora expressis. iuxta c. Sedes, 15. de rescriptis, & habetur expressè in Clem. 2. hoc tit. Si procurator constitutus sit ad agendum, & defendendum, atque iurandum de calumnia, & alia omnia agendi, quæ speciale mandatum requirant, quòd vi huius mandati electo, contra quem in iudicio agit, obijcere non possit crimina seu defectus, vt quòd sit homicida & irregularis. Quia causa ista grauior est, quàm sit facultas de calumnia iurandi in animam domini, c. vlt. de iuram. calumniæ, in 6.

Declarandum est secundò, Quòd expressio articuli specialis fieri debeat per modum permissionis, vt in proposito exemplo: Non autem per modum exceptionis: v. g. Constituo Titium procuratorem generaliter ad omnia, excepto quòd transigere non possit; vi huius excipientis particulæ, (quippe quæ nõ augendi, sed diminuendi causa apposita censetur) alia similia efficere non potest, vti Gl. margin. hic monet, & docuit, c. vlt. q. 3.

### s. Procurator.

NON potest procurator absque mandato speciali iuramentum aduersario deferre ad litem decisionem, nec transigere, aut pacisci: nisi bonorum, vel causæ libera administratio ipsi commissæ sit.

Pro intellectu aduerte, Quòd Procuratoris officium, cum species mandati sit, ad plura se nõ extendat, quàm iussum fuerit, iuxta l. diligenter, mandati. Quare si procurator ad lites constitutus sit, agere ac defendere potest, sicuti litem instantia exigit. At verò pacisci, transigere, vel compromittere non potest, cum hæc ad iudicia per se non pertineant. At verò administrator bonorum, seu iurium, si cum libera seu plena potestate da-

cus